

de hac re disputat à quo aliquid hausimus. Hujus hæresis etiam non meminit Guido, imo nec ipsius Petri Abailardi ullam unquam facit mentionem.

Nona hæresis negat in Christo fuisse spiritum timoris domini. Et hoc venenum etiam est à Petro Abailardo inventum, quemadmodum illi impingit beatus Bernardus illa eadem epistola, videlicet 190. quamvis contra illum non disputat. Sed eam redarguit, & convincit Elaias Propheta, qui de Christo loquens, cap. 11. ita ait: *Bgrediatur virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet, & requiescet super eum spiritus domini, spiritus sapientie, & intellectus, spiritus consilii, & fortitudinis, spiritus scientie, & pietatis, & replebit eum spiritus timoris domini.* Hæc virga, quæ de radice Jesse orta est, Virgo est Maria de genere David, qui filius fuit Jesse, ut Mattheus narrat. Flos autem est Christus, qui ait: *(Cant. 2.) Ego flos campi, & lilium convallium.* Super hanc florem requievit ille septenarius spiritus, quem Elaias expressit, id est, septem ejusdem Spiritus Sancti dona, inter quæ spiritus timoris domini numeratur. Præterea, qui trepidat ponere in Christo spiritum timoris domini? An forte quia timor est imperfectior, secundum quod Joannes ait 1. 4. : *Perfecta charitas foras mittit timorem?* Et ideo forte Petrus Abailardus timens negare in Christo fuisse perfectam charitatem, negavit in eo fuisse spiritum timoris. Quod si ita est, trepidavit certe timore, ubi non erat timor. Nescivit enim multiplicem esse timorem domini. Quidam namque est timor domini servilis, cum videlicet quis propter odium peenæ, quam timeret, fugit peccatum: qui timor servilis dicitur, quia servi talem timorem confueverunt habere. Dicitur etiam initialis, quia via quædam est, & initium ad bonum. Una enim pars justitiæ est, declinare à malo, ad quam introducit hic servilis timor, & ideo initialis vocatur, de quo dicitur: *(Psalm. 110.) Initium sapientie est timor Domini.* Hic timor est imperfectior, quia perfecta cuiuscumque operis executio à charitate ortum habere debet. Hic autem timor non oritur à charitate, sed ab odio peenæ. Hunc timorem perfecta charitas foras mittit: quoniam qui sic jam Deum diligit, ut ex amore deus cuncta operetur, tunc jam definit agere propter odium peenæ. Qui enim ex odio peenæ agit, quasi coactus à peenâ quam timet, agit: quam si sciret nunquam fore insligendam, desisteret ab actione. Qui vero ex amore agit, mere libere agit. Hunc timorem Christus non habuit, quia perfectissimus habuit charitatem, quæ illum non permittebat. Alius est timor domini filialis, cum quis scilicet fugit malum ex solo amore patris, ne videlicet offendat patrem: qui ideo dicitur filialis, quia tali timore bonus filius timere debet patrem. Et hunc non solum non expellit charitas, immo eum producit charitas, & ab ea ortum habet. Et hunc timorem habuit Christus, quia à multis, imo ab omnibus malis declinavit, & non timore aliquis peenæ, sed ex solo Dei amore. Ergo fuit in eo timor filialis. Quod si adhuc contendas, dicens hunc timorem filialem habere immixtam quamdam peenam, & ob hoc illum dicas non fuisse in Christo, cujus anima fuit beata ab origine suæ conceptionis: hoc nihil obstat: quia etsi ejus anima fuit beata, nihilominus tristabatur in passione, quæ tristitia multo gravior fuit peenâ, quam illa, quæ est immixta timore filiali. Ergo qui potuit tristari quam esset beatus, timere etiam potuit præcipue timore filiali, cujus si aliqua est peenâ, mitissima certe est.

Rursum, beati, qui jam extra omnem peenam sunt, timere dominum, ut Propheta ait: *(Psalm. 118.) Timor domini sanctus permanet in seculum seculi.* Christo ergo nihil sua beatitudo obstare potuit, quin Deum timerit. Verum hoc Propheta dictum, de quodam alio timore interpretatur, quem vocat reverentialem, qui non est aliud, quam quædam ipsius Dei reverentia: & hunc dicunt habere beatos. Quod si hic sit à timore filiali distinctus, & timorem filialem negit inesse beatis, sed solum quem appellant reverentialem, non tamen per hoc evaderet Petrus Abailardus, quin aliquis spiritus timoris domini (ut Elaias dixit) fuerit in Christo: quoniam cum Christus præ omnibus reveritus sit Deum, adeo ut propter illam reverentiam Paulus dicat *(Hebr. 5.) eum à Deo fuisse exaudium, consequens est, ut etiam supra omnes Deum timerit hoc timore quem vocat reverentialem.* Non est ergo cur Petrus Abailardus trepidet Christo tribuere timorem: quoniam etsi non habuit timorem servilem, quem perfecta charitas foras mittit, habuit tamen timorem filialem, aut reverentialem, quem perfecta charitas producit.

Decima hæresis asserit Christum sustinuisse vulnus lanceæ cum adhuc vivus esset. Hujus erroris auctor fuit quidam Petrus Joannis, ut Guido Carmelita illi impingit. Et certe miror quod homo qui vel parum latine sciat, & legat Evangelium Joannis, in hunc incidat tam apertum errorem: nisi forte superba ejus malitia illum excecante: quoniam beatus Joannes enarrans passionem Christi, post multa tormenta quæ Christo illata esse dicit, de morte ejus, sic ait: *(Joann. 19.) Cum ergo accepisset Jesus acetum, dixit: Consummatum est. Et inclinato capite tradidit spiritum.* Judei ergo, quoniam parasæve erat, ut non remaneret in cruce corpora sabbato (erat enim magnus dies ille sabbati) rogaverunt Pilatum, ut frangerent eorum crura, & tollerentur. Venerunt ergo milites, & primi quidem frangerunt crura, & alterius qui crucifixus est cum eo. Ad Jesum autem cum venissent, ut viderunt eum jam mortuum, non frangerunt ejus crura, sed unus militum lancea ejus aperuit, & continuo exiit sanguis, & aqua. Et qui vidit, testimonium perhibuit, & verum est testimonium ejus. Et ille scit quia vera dicit, ut & vos credatis. Hucusque beatus Joannes in Evangelio. Ex isto rursus autem verborum ordine clarissime patet Christum fuisse jam mortuum cum latus ejus fuit lancea percussus. Etsi ergo Angelus de cælo aliud annuntiaret nobis, non esset credendus. Neque causa devotionis, aut contemplationis licet mendacium fingere. Itæ autem ut augetur doloris passionis Christi, dicebat licite posse dici & contemplari Christum fuisse percussum lancea, cum adhuc vivus esset. At Deus non indiget mendatio nostro. Ideo merito error iste damnatus est in Concilio Vinnensi sub Clemente Papa V. Hujus autem Concilii definitio habetur in volumine Clementinarum Decretalium, titulo de Summa Trinitate & Fide Catholica. Ubi postquam citavit illum locum Joannis quem nos proxime narravimus, sic definitur: Nos igitur ad tam præclarum testimonium, ac Sanctorum Patrum, & Doctorum communem sententiam, Apostolicæ considerationis, ad quam dumtaxat hæc declarare pertinet, acriem convertentes, sacro approbante Concilio, declaramus prædicum Apostolum, & Evangelistam Joannem rectum in præmissis factæ rei ordinem tenuisse, narrando quod Christo jam mortuo unum militum lancea latus ejus aperuit. Hæc Concilii Vinnensis definitio, cui magis quælibet credere oportet,

quam pharasticis hæreticorum imaginationibus.

Undecima hæresis est quæ negat Christum surrexisse. Hujus hæresis magister est Cerinthus, de quo quæ alias diximus. Hic (ut Augustinus testatur) dixit Christum non surrexisse, sed aliquando surrecturum. Hæc hæresis adeo faciliter revincitur, ut qui eam tutari velit, cogatur negare omnia quatuor Evangelia, quæ consona voce affirmant Christum surrexisse. Nam Mattheus ultimo sui Evangelii capite, & Marcus etiam ultimo, & Lucas ultimo, & Joannes penultimo sui Evangelii capite, omnes hi unanimes testantur Christum surrexisse. Præterea, si Christus non resurrexit, ergo ipse postea est inventus, qui Apostolis suis prædixerat se post passionem suam, & mortem resurrecturum. Falsa etiam oportuit esse argumenta, & sophistica, quibus (ut Lucas ait) suam resurrectionem probare voluit. Sic enim ait: *(Act. 1.) Quibus, & præbuit seipsum vivum post passionem suam in multis argumentis, per dies quadraginta apprensens eis, & loquens de regno Dei.* Rursum. Si Christus non resurrexit (ait Paulus 1. Cor. 1.) inanis est prædicatio nostra, inanis est fides vestra. Invenimur & falsi testes Dei, quoniam testimonium diximus adversus Deum, quod suscitaverit Christum, quem non suscitavit. In reigitur tam aperta superfluum esset longam texere disputationem.

Duodecima & ultima, quam de hac re reperio hæresim, est quæ asserit Christum in caelos sine carne ascendisse. Hanc hæresim docuit Apelles, & cum ipso Apelle quod sciam, sepulta fuit. Hic (ut Augustinus ait) dixit Christum sine carne resurrexisse, & sine eadem in caelum ascendisse. Quid hæc sententia fabulosius dici potest? Nulla siquidem ratione movetur, nullo argumento fulcitur, nulli fundamento innititur: sed merum somnium, aut pura fabula apparet. Si Christus sine carne resurrexit: quis fuit ille quem in medio discipulorum constitutum octava resurrectionis die Thomas tetigit? *(Joan. 20.)* Cujus erant illæ manum cicatrices, & lateris vulnus, quæ Thomæ ostendit, & palpanda præbuit? Divinitas siquidem, nec oculis corporeis videri poterat, nec manibus tangi, nec cicatrices sustinere. Præterea, discipulis appassens Christus post resurrectionem, illisque conturbatis, & conterritis, eo quod exultarent se spiritum videre, dixit: *(Luc. ult.) Quid turbati estis, & cogitationes ascendunt in corda vestra? Videte manus meas, & pedes meos, quia ego ipse sum. Palpate, & videte, quia spiritus carnem, & ossa non habet, sicut me videtis habere.* Et cum hoc dixisset, ostendit eis manus, & pedes. Adhuc autem illis non credentibus, & mirantibus præ gaudio dixit: *Habetis aliquid quod manducetis? At illi obtulerunt ei partem piscis assi, & sarum mellis.* Et cum manducasset coram eis, sumens reliquias dedit eis. Quomodo ergo sine carne resurrexit, qui resurgens, manus, & pedes habet, sarum mellis comedit? Rursum, si Christus sine carne ascendit in caelum, quis est ille quem Stephanus in persecutione positus vidit, dicens: *(Act. 1.) Ecce video caelos apertos, & filium hominis stantem à dextris virtutis Dei?* At Filius Dei, si carnem secludas, non amplius dicitur filius hominis. Accedit ad hæc, quod Christo ascendente in caelum, Angeli dixerunt Apostolis: *Viri Galilæi, quid statis aspicientes in caelum? Hic Jesus qui assumptus est à vobis in caelum, sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in caelum.* At cum Jesus in forma humana sit judicaturus, convincitur ut in forma etiam humana ascenderit. Adversus tam apertum mendacium, & tam claram demen-

mentiam, non est opus plura adferre. Et certe puderet me ista narrare, si illos hæreticos fuisset pudium illa asferere. Sed cum eorum insaniam jam vulgata sint, & per multos scriptores qui de illis mentionem fecerunt, narrata: necesse fuit eas hic inferere, ut cum aliis hæresibus damnarentur.

CONCILIUM

DE hac re unum solum reperio errorem omnibus ferme hæreticis communem. Omnibus namque hæreticis semper fuit, & hucusque est proprium, Conciliorum auctoritati detrudere, eamque pro viribus immuere: quoniam vident nihil esse adeo efficax ad eorum effrenatam audaciam reprimendam, sicut est Concilii generalis auctoritas. Quapropter cum hæretici omnes obstinate suos tueantur errores, evenit ut si forte eorum aliquis error per Concilium fuerit damnatus, ad hoc eis commune asylum confugiant, dicentes, Concilium in tali definitione errasse. Hoc egit Arius, Cum enim damnatus fuisset in Concilio Nicæno, ille, & ejus sequaces acquiescere nolentes definitioni Concilii, dixerunt Concilium errasse. Ad eundem modum se habuit Nestorius in Concilio Ephesino damnatus, ut ille, & ejus fautores suam sententiam Concilii Ephesini decreto præponerent. Nec aliud fecere Eutyches, & Dioscorus in Concilio Chalcedonensi damnati. Notissima est etiam Historia de Joann. Hus Bohæmo, qui cum amplexus fuisset doctrinam Joan. Vvicleph, & eam vidisset in Concilio Constantiensi damnari, nec tamen propter hoc desitit suum modicum tenere errorem, dicens Concilium Constantiense errasse in condemnatione Joannis Vvicleph. Postremus omnium Lutherus cum à principio prædicationis suorum errorum, Concilium appellasset, timens postea ne forte Concilio congregato sua venenosa dogmata damnarentur, addidit hoc aliud venenum, dicens Concilium generale quantumlibet probe (ut decet) congregatum, posse in fide, & moribus errare, & Concilium Constantiense errasse in condemnatione Joannis Hus. Adversus ergo horum omnium hæreticorum dementia hoc probandum est, Concilium generale recte congregatum non posse errare in fide. De Conciliis autem particularibus, quæ in singulis provinciis sunt, non est mens nostra disputare, quoniam illa talia errare possunt, & aliqua eorum errasse compertum est. Concilium certe Carthaginense octoginta Episcoporum, cui interfuit beatus Cyprianus martyr, erravit, desinens hæreticos, & ab hæreticis baptizatos fore rebaptizandos. Et alia multa celebraverunt Donatistæ Concilia, in quibus ipsi jactabant se habere multas Episcoporum centurias. Et de his quod erraverint non dubitamus. Verum est hæc, aut alia similia provincialia Concilia erraverint, eorum error non obest toti Ecclesiæ, cum hujusmodi error per definitionem generalis Concilii corrigatur, quemadmodum docet beatus Augustinus, libro secundo contra Donatistas, sic dicens: „Et ipsa Concilia quæ per singulas regiones, vel provincias sunt, plenariorum Conciliorum auctoritati, quæ sunt ex universo orbe Christiano, sine ullis ambagibus, cedere, cum experimento rerum aperitur. Hæc Augustinus. De solis ergo Conciliis generalibus recte congregatis dicimus ea errare non posse. Ut autem hoc clare comprobemus, oportet eos percontari, utrum sit aliquis certus modus quo erratis in fide doceri possit, ut revocatus ab errore, certam teneat fidei regulam. Si dicant nul-

lum talem modum esse certum, duo sequuntur inconvenientia. Primum, quod non recte, & sufficienter Deus Ecclesiæ suæ providerit. Secundum, quod nullus quantumlibet in fide erraverit, per hoc peccabit: quia videlicet immedicabili ignorantia laborat. Impium enim est dicere ut Deus obligaverit aliquem ad id quod sibi impossibile est. Si nulla pater via certa qua ab errore revocari possit, erit ergo illi impossibile certam tenere fidei regulam: quapropter cum ea caruerit, non peccabit. Si autem dicant aliquam esse viam certam qua doceri possit ut relicto errore ad rectam fidem redeat, hæc non erit hominis cujuslibet particularis doctrina, quoniam quilibet particularis homo errare potest in fide, etiam si Papali dignitati fulgideret. Erat ergo via certa Concilii generalis recte congregati definitio. Quod si ipsum Concilium etiam errare possit, nec ista esset certa via: adhuc essemus dubii an Concilium ipsum recte senserit, an male. Quo facto, semper essemus hæsitantes, & similes (ut ait beatus Jacobus, cap. 1.) *fluviu maris qui à vento movetur, & circumfertur.* Verum hic Lutherus, & sui complices viam certissimam esse ajunt scrutinium scripturarum, penes quas dicunt esse judicium omne ad contentiones de fide submovendas: quoniam Christus dixit: (Joann. 5.) *Scrutamini scripturas, quoniam illa testimonium perhibent de me.* Quibus obijcimus, quod ex illa auctoritate solum habetur scripturas locum tenere testium, & non locum judicis. Non enim dixit, scrutamini scripturas, quoniam illa judicium ferunt de me, sed dixit: *Scrutamini scripturas, quoniam illa testimonium perhibent de me.* At testimonium officium non est ferre sententiam, sed solum testimonium dicere. Ad judicium vero spectat testium dicta audire, & scrutari: quibus auditis, juxta eorum testimonium sententiam dicit. Quapropter fatemur juxta scripturæ sacræ testimonium sententiam esse dicendam, verum opus est judicis qui testium dicta inquirat, audiat, scrutetur: quo sublato, etiam ex scripturæ sacræ testimonio non potest certitudo fidei haberi, quoniam ipsam eandem scripturam quisque pro suo arbitrato interpretabitur. Arius certe plures scripturæ locos pro sui erroris confirmatione adhibebat. Nestorius (ut Gennadius in catalogo scriptorum Ecclesiasticorum ait) sexaginta scripturæ testimoniis suam hæresim confirmare nitabatur. Et quis hæreticus suam hæresim non conatus est scripturæ auctoritatibus probare? Si enim quempiam hæreticum nova docentem interrogas, unde hoc probas, quod catholice Ecclesiæ antiquam fidem dimittere debeam: statim ille mille testimonia, mille exempla, mille adfert auctoritates, de lege, de psalmis, de Apostolis, de Prophetis, quibus perperam interpretatis suam venenosum dogma confirmet. Quo pacto ergo tunc scriptura erit iudex, cum ea pro libito hæreticus juxta ac catholicos utatur? Arius, & Athanasius contendunt de consubstantialitate filii. Arius pro se adfert illud Christi dictum: (Joann. 14.) *Pater major me est.* Athanasius suam, & catholicam fidem confirmat per illud quod Christus dixit: *Ego, & Pater unum sumus.* Uterque eorum dicit se scrutatum fuisse scripturas, & quod illa testimonium perhibent de sua doctrina. Non est ergo sufficiens, & certa via scrutinium scripturarum, quoniam eas quisque pro libito interpretatur. Opus est ergo judicem, qui sententiam dicat de interpretatione illarum scripturarum, quis sit verus earum sensus. Is autem iudex, ut nos certos sua sententia reddat, oportet ut talis sit qui falli non possit. Particularis autem homo, quicumque is sit, falli potest. Erat

Erit ergo necessario generale Concilium talis iudex qui falli non potest, & nos certos de vera fide per suam sententiam faciat. Aut ergo nullus est iudex infallibilis cui certo credere teneamur, aut Concilium generale erit talis iudex qui falli non possit. Quod si nullum esse talem iudicem dicas cui certo credere teneamur, qualem, bone Deus, tunc haberemus Ecclesiam? quam incostantem, quam dubiam, quam hæsitantem? ipso certe Proteo mutabiliorum. Quomodo non vacillabit omnis Christianorum fides, si non est certum cui credere teneamur? Et certe si quisque bene consideret, fomentum omnium hæresum validissimum est, dicere quod Concilium generale recte congregatum errare possit: quoniam illo admisso, omnes hæreses per Conciliorum auctoritatem damnatae resurgunt, & nulla invenitur via quo illas ab Ecclesiæ rejicere valeamus. Nam si scripturis sacræ contra eos agatur, statim eas, aut omnino rejiciunt, eas esse canonicas negantes, aut perperam interpretantur, & ad suum sensum detorquebunt, sicut eos fecisse, & nunc facere experientia docet. Et ita Ecclesiæ facies esset omnino confusa, & turpis, & misera. Præterea in Conciliis generalibus recte (ut decet) congregatis, adest Spiritus Sanctus eorum moderator, & rector, qui eos in fide instruat. Quapropter sicut nec Spiritus illis assisens errare potest, ita nec ipsa Concilia quæ ab eo diriguntur. At Deum assisente ipsi generalibus Conciliis recte congregatis, convincitur per id quod Dominus ait: (Matth. 18.) *Si duo ex vobis consenserint super terram de omni re quæcumque petierint, fiet illis à Patre meo qui in caelis est. Ubi enim sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Quod si hoc promissum vides duobus, aut tribus in nomine Christi congregatis, quid futurum putas cum totum generale Concilium fuerit congregatum? Hoc etiam ex Concilio Hierosolymæ ab Apostolis celebrato clarius patet, ubi Apostoli in unum congregati ut de cessatione legalium definirent, sic sententiam proferunt: (Act. 15.) *Videtur est Spiritus Sanctus & nobis, &c.* Rursum Ecclesia habet Spiritum Sanctum illi assisentem, & eam gubernantem. Sic enim Christus promissit: (Joan. 14.) *Paracletus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomen meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis.* Nec enim hæc verba ad solos Apostolos referenda sunt: nec illa Spiritus Sancti missio (ut ait Bernardus) propter solos Apostolos facta est. Ad quid enim necessaria erant Apostolis omnium gentium linguæ, nisi quia omnes gentes docenda erant? Et ipsamet veritas ait: (Matth. 18.) *Ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi.* Quod verbum nequaquam ad solos Apostolos referendum est, cum illi non essent permansuri in hac misera vita ad finem usque mundi. Sed toti Ecclesiæ dictum est illud, cui Deus promittit se ad finem usque adfuturum. Hoc autem antea sub nomine Christi Salomon loquens, prædixerat: *Vinea (inquit Cant. 8.) mea coram me est. Christus ergo semper Ecclesiæ astat tamquam sponsus sponse suæ cohabitans, tamquam caput membris suis hærens, ut ea vegetet, atque regat.* At Concilium generale (ut in principio hujus operis docuimus) Ecclesiam universalem representat. Concilio ergo generali in quo universa Ecclesia representatur, Deus ipse assisit, illud docens omnia ad salutem necessaria. Deinde si Concilium generale (ut diximus) universalem Ecclesiam representat, sequitur Concilium errare non posse in fide, & moribus, quia Ecclesia quæ per Concilium generale representatur, non potest errare in fide, aut

moribus. De Ecclesia namque ipsamet veritas ait: (Matth. 16.) *Portæ inferi non prevalebunt adversus eam.* Portæ inferi sunt singula mortalia peccata, per quæ fit introitus ad infernum. Quod si universalis Ecclesia in fide, aut moribus errare possit, portæ inferi prævalerent adversus eam. Et apud Joannem, cap. 14. eadem veritas iterum ait: *Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum.* Quæ verba non ad solos Apostolos referenda sunt, sed ad universalem Ecclesiam, cui promittit Spiritus Sancti præsentiam ad finem usque sæculi. Et beatus Apostolus Paulus dicit: (Eph. 5.) *Videte diligite uxores vestras sicut & Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea ut illam sanctificaret, mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi, sed ut sit sancta, & immaculata.* Si ergo Christus exhibuit Ecclesiam sine macula, & sine ruga, qualiter eam inspicere poterit hæresis labe, & sine peccati macula? Rursum, idem Paulus in alia epistola (1. Tim. 3.) vocat Ecclesiam columnam, & firmamentum veritatis: ex quibus verbis convincitur, ut ipsa errore aliquo involvi non possit. Non enim est possibile, ut ea quæ columna, & firmamentum est veritatis, erret. Ex his ergo, & aliis plurimis quæ possunt adferri, convincimus generale Concilium recte (ut decet) congregatum, non posse in fide, aut moribus errare. Dictum autem Concilium tunc esse generale, & recte congregatum, quando Pontificis Summi auctoritate convocantur omnes, quorum interest de re illa definire. Sine Summi Pontificis auctoritate Concilium generale celebrari non potest. Hinc non est mirum si Ariminense Concilium erraverit: quia ab hæreticis Arrianis, favente Constantino imperatore, & ipso Arriana heresi infecto, congregatum est, contradicente tamen Liberio Papa. Quapropter omnia in hoc Concilio gesta, Damasus Papa, convocato postmodum Romam Concilio, rescidit proflus. Eadem ratio est Concilium Constantinopolitanum sub Constantino, & Gregorio tertio celebratum, inane est, & pestiferum, quia renitente Gregorio tertio congregatum fuit, & contra illius mentem, & aliorum catholicorum lata est ibi sententia de imaginibus omnino ab Ecclesiâ tollendis: & idem hoc fuit postea in septima synodo quæ Nicæna fuit, sub Hirene Imperatrice damnatum. Nec oportet ad hoc ut Concilium dicatur generale, quod omnes Christiani convocentur, sed solum illi ad quos spectat docere, & regere, quales sunt majores Ecclesiæ, ut Episcopi, & similes. Ad hos enim spectat docere, & ad alios non. Et hoc valde consonum est rationi. Si enim omnes possent docere, omnes definire, ad omnes spectaret de fide sententiam dicere, tunc totum corpus unum membrum esset: Paulus tamen ait: (1. Cor. 12.) *Nam & corpus non est unum membrum, sed multa. Si dixerit pes, quoniam non sum manus, non sum de corpore, non ideo non est de corpore: & si dixerit auris, quoniam non sum oculus, non sum de corpore: non ideo non est de corpore. Si totum corpus oculus, ubi auditus? Si totum auditus, ubi odoratus? Nunc autem posuit Deus membra, unumquodque eorum in corpore sicut voluit. Quod si essent omnia unum membrum, ubi corpus? Nunc autem multa quidem membra, unum autem corpus.* Et aliquibus interjectis, subiungit: *Numquid omnes Apostoli? Numquid omnes Prophete? Numquid omnes Doctores?* Ex quibus Pauli verbis convincimus quosdam esse in Ecclesiâ ad hoc à Deo destinatos, ut doceant, & definiant: aliorum autem munus esse, doceri, & aliorum documenta suscipere.

nem. Quod si quis dicat eam fuisse institutam in Concilio Lateranensi, in quo facta est Decretalis illa nimis vulgata quæ incipit: Omnis utriusque sexus. Hoc si ad confessionem annuatim faciendam referatur, facile crediderim, quoniam ante illam Decretalem nescio an fuissent homines obligati ad confessionem quolibet anno faciendam. Sed si de confessione simpliciter dicatur eam cepisse in Ecclesia à tempore illius Concilii: constat illud esse falsum, quoniam Innocentius Papa hujus nominis tertius, sub quo illud Concilium Lateranense celebratum est, & decretalis illa ædita (ut Platina ait) adeptus est summum Pontificatum circa annum domini M. CC. ante quem per multas annorum centurias fuerit Augustinus, Hieronymus, Ambrosius, & alii plures, qui dicunt confessionem esse necessariam: & constat eam tempore Apostolorum fuisse exercitam. In actis liquidem Apostolorum cap. 19. dicitur: *Multi credentium veniebant contentes & annuntiantes actus suos.* Deinde Ecclesia Catholica errare non potest in his quæ ad fidem & bonos mores spectant; At concors omnium sanctorum doctorum de aliqua re sententia (ut in principio hujus operis docuimus) manifeste ostendit eam esse mentem & definitionem Ecclesiæ: quoniam cum plures fuerint doctores sanctitate perinde ac scientia præcolentes diversis temporibus diversisque locis existentes, qui eidem sententiæ subscribere, quorum sententiam numquam Ecclesia damnavit, sed ad eorum assertionem tacuit, quæ numquam ad hæreses damnandas tacere solet, convincitur inde illam sententiam cui omnes doctores subscribunt, esse veram Ecclesiæ Catholicæ mentem, & veram fidem. Cum ergo omnium sanctorum doctorum sit concors sententia, confessionem omnium peccatorum mortalium de quibus peccator recordatur, esse necessario sacerdoti faciendam, & sine ea salvari non posse, eamque à Christo esse institutam: constat inde hanc esse Catholicæ Ecclesiæ fidem, confessionem videlicet peccatorum esse divino præcepto & non humano introductam. Horum autem sanctorum doctorum aliqua pauca testimonia adferam, ex quibus hoc perspicuum evadet. Omitto in hac re Bernardum, Hugonem de Sancto Victore, & Richardum, Bedam, Rabanum, Isidorum atque etiam Gregorium, quoniam horum notissima sunt testimonia. Ad vetustiores accedo. Leo Papa hujus nominis primus, in epistola ad Theodorum Episcopum Foroliviensem, quæ est in ordine 69. sic ait: „Multiplex misericordia Dei ita lapsibus subvenit humanis, ut non solum per baptismi gratiam, sed etiam per penitentiam medicinam spes vitæ repararet æternæ, & qui regenerationis dona violassent proprio se iudicio condemnantes, ad remissionem criminum pervenirent. Sic divinæ bonitatis prædiis ordinatis, ut indulgentia Dei nisi supplicatione sanctorum nequeat obtineri. Mediator enim Dei & hominum, homo Christus Jesus, hæc præpositis Ecclesiæ tradidit potestatem, ut conscientibus actionem penitentiae darent, & salubri satisfactione ne purgatos ad communionem sacramentorum per januam reconciliationis admitterent: cui utique operi ipse Salvator intervenit, nec unquam ab his abest quæ ministris exsequenda commisit, dicens: (Matth. 28.) *Ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi: ut si quid per servitutem nostram bono ordine & gratulando impletur affectu, non ambigamus per Spiritum Sanctum fuisse donatum.* Hæc Leo Papa. In quibus verbis multa sunt notata digna quæ nostro proposito deserviunt. Cum enim dixit divinæ bonitatis prædiis ordina-

tis, innuit non esse humana constitutione introductam, sed divino jure ordinaram. Cum vero ait veniam non posse aliter haberi nisi supplicatione sanctorum, ostendit confessionis necessitatem. Dicens autem Deum semper assistere absolutioni & ministerio sacerdotum, satis aperte declarat hujus sacramenti efficaciam. Augustinus in lib. 50. homiliarum, homilia 49. sic ait: „Qui post uxores vestras vos illicito concubitu maculatis, si præter uxores vestras cum aliqua concubivistis, agite penitentiam, qualis agitur in Ecclesia, ut oret pro vobis Ecclesia. Nemo sibi dicat, occulte ago, apud Deum ago, novit Deus, qui mihi ignoscit, quia in corde ago. Ergo sine causa dictum est: (Matth. 18.) *Quæ solveritis in terra, soluta erunt in celo?* Ergo sine causa sunt datæ claves Ecclesiæ Dei? Frustramus Evangelium Dei? Frustramus verba Christi? promittimus nobis quod illi negat? nonne nos decipimus? Hæc August. Quibus verbis aperte dicit esse necessariam sacerdotis absolutionem, & non sufficere ut secreto Deo confiteatur penitens. Quod si necessaria est sacerdotis absolutio, ergo necessaria est peccatoris confessio, quia sacerdos absolvere non potest peccata quæ non novit. Et cum in pluribus locis hoc idem dicat, expressius tamen super Joannem tractatu 49. eandem sententiam explicat. Videat qui volent. Satis etenim mihi est, qui brevitate tenere promissis, ut lectorem admonuerim. Hieronymus exponens illud Ecclesiasticum 10. *Si mordetate serpens in silentio, &c.* ait: „Si quem serpens diabolus occulte memorderit, & nullo conficio eum peccati veneno infecerit, si tacuerit qui percussus est, & non egerit penitentiam, nec vulnus suum fratri & magistro voverit confiteri; magister qui linguam habet ad curandum, facile ei prodesse non poterit. Si enim erubescat ægrotus vulnus medico confiteri, quod ignorat medicina, non curat. Hæc ibi Hieronymus. Quibus verbis aperissime ostendit confessionis necessitatem, ut sine ea vulnus peccati curari non possit. Ambrosius libro primo de penitentia cap. 7. disputans adversus Novatianos negantes penitentiam posse peccantibus proficere, sic ait: „Car baptizatus, si per hominem peccata dimitti non licet? In baptismo utique remissio omnium peccatorum est. Quid interest utrum per penitentiam, an per lavacrum, hoc jus sibi datum sacerdotis vendicent? Unum in utroque ministerium est. Sed dices quia in lavacro operatur mysterium gratiæ. Quid in penitentia? nonne Dei nomen operatur? Quid ergo? Ubi vultis vendicatis nobis Dei gratiam, ubi vultis repudiatis? Hæc Ambrosius. In quibus verbis B. Ambrosius clarissime docet, in penitentia perinde ac in baptismo gratiam per sacerdotum ministerium conferri. Numquam autem per ministerium sacerdotum penitentia completur, nisi cum peccatorem sua peccata contentem sacerdos absolvit. Ergo per penitentiam sacramentum, hoc est per confessionem, homo recipit gratiam: cuius oppositum dicit Lutherus in sexto errore supra nominato. Hujus autem sacramenti necessitatem docet idem Ambrosius lib. 11. de penitentia cap. 7. cuius verba causa prolixitate vitandæ relinquo, satis putans lectorem dirigere. B. Cyprianus sermone quinto de lapsis, loquens de illis qui corde solum peccaverunt, sic ait: „Hi quamvis nullo sacrificii aut libelli facinore conficti sunt, quoniam tamen de hoc vel cogitaverunt, hoc ipsam apud sacerdotes Dei dolenter & simpliciter confiteantur, exomologesim conscientiæ suæ faciant, animi sui pondus exponant, salutarem medelam parvis licet & modicis

vul-

vulneribus exquirant. Et parum infra: Confiteantur, singuli, quæso vos fratres, delictum suum, dum ad hoc, huc qui deliquit, in saculo est, dum admitti ejus confessio potest, dum satisfactio, & remissio facta per sacerdotes, apud Dominum grata est. Hæc Cyprianus. Ex his Cypriani verbis duo colligimus. Unum, quod videlicet confessio faciendæ est apud sacerdotes Dei, & non solum coram Deo. Alterum, quod illa non fit faciendæ solum de publicis, sed etiam de occultis quæ intra cordis latebras commissa sunt. Cujus oppositum docet Lutherus. De aliis autem occultis peccatis, quæ sic occultæ sunt, ut ipsam peccatorem lateant, vel quia eorum non recordatur, vel quia firmiter credit, excusabili ignorantia, non esse peccata, de his, inquam, non disputamus quod ea contentenda sint. Nullus enim fuit unquam tam demens, ut putaret illa etiam sacerdoti in aures fore narranda, quorum penitens non recordatur. Quod vero Lutherus pro se adducit, dicens non oportere omnia confiteri, quia (ut dicit) sic facientes nihil relinquunt misericordiæ Dei ignoscendum: tale est ac si diceret non oportere etiam laborare ut omnia opera nostra bona, & bene facta sint, quoniam sic facientes multo minus velint aliquid relinquere misericordiæ Dei ignoscendum: quapropter illo argumento Lutherus etiam persuaderet hominibus ut nolint omnia bene operari. Idem argumentum, quod nunc Lutherus probare nititur suam impiam assertionem, Paulus objicit sibi ipsi, & illud velut inane, ac nullius prætoris roboris contemnit, ac rejicit. Nam postquam dixerat Paulus multo majorem esse divinam Dei gratiam, quam nostra peccata: Ita ut ubi abundaverat delictum, dicat superabundasse gratiam, objicit sibi sic inquit: *Quid ergo dicemus? manebimus in peccato, ut gratia abundet? Absit.* Poterat fortassis alicui ignoranti in mentem venire licere homini peccare, ut Deus postea abundantior imparetur gratiam. Paulus tamen hanc sententiam non admittit, sed absurdissimam illam putat, dicens: *Absit.* Numquam enim (ut ipse inferius ait) licet facere malum ut inde eveniat bonum. Ut autem Lutherus intelligat, hanc esse Pauli sententiam, audiat Chryostomum. Homilia decima super epistolam ad Romanos, hæc Pauli verba interpretantem, qui hæc ait: „Postquam igitur offenderet, magnam esse gratiam ex eo quod magna curata sint peccata, videbatur ex eo imprudentibus peccandi datum hortamentum. Si enim propere (dicit quiespiam) gratia Dei major apparet quod multa, & magna peccata commisimus, à peccatis non abstinemus, mus, ut magis appareat gratia: Ne igitur ista, vel dicant, vel suspicentur, vide quomodo subvertat objectionem. Primum quidem forti negatione cum dicit: *Absit*, id quod solet facere in illis, quæ ex confesso vendicantur sunt absurda. Hæc Chryostomus. Eodem modo Lutherus, cum dicit, non esse contentenda omnia peccata, ut aliquid relinquamus divinæ misericordiæ ignoscendum, ego respondebo: Absit. Quia non sunt faciendæ mala, ut postea nobis illa Deus remittendo misericordiam suam ostendat. Adde quod etiam si omnia contententur peccatores, adhuc omnia relinquunt misericordiæ Dei ignoscenda: quoniam etiam peccatores omnia contententur peccata, immensam tamen exercet misericordiam Deus, omnia remittens, cum etiam si omnia opera quantumlibet exacte fecerimus, magnam nobis exhibet misericordiam, cum ea ad vitam acceptam æternam: *Quoniam non sunt condigna passiones hujus sæculi ad futuram*

gloriam, quæ revelabitur in nobis. (Rom. 7.) Sed ne ex istis doctoribus latinis testimonia sumpsisse videamur, oportet præterea erit aliquorum Græcorum testimonia proferte. Cyrillus, libro tertio super Leviticum, exponens illud: *Si peccaverit unum aliquod de istis, pronuntiet peccatum quod peccavit*, sic ait: „Est aliquid in hoc mirabile secretum, quod jubet pronuntiare peccatum. Etenim cuiusvis generis pronuntianda sunt, & in publicum proferenda cuncta quæ gerimus: si quid in occulto gerimus, si quid in sermone solo, vel etiam intra cogitationum secreta commisimus, cuncta necesse est publicari, cuncta proferri. Proferri autem à nobis, aut ab illo, qui accusator peccati est, & inceptor. Hæc Cyrillus. Vides hic, qualiter omnia proferri jubet, & nullum celari permittit, si volumus diaboli accusationem evadere. Chryostomus, homilia 3. super Mattheum, loquens de illis, qui baptizabantur à Joanne, contentes peccata sua, sic ait: „Confessio peccatorum est testimonium conscientiæ timentis Deum. Qui enim timet iudicium Dei, peccata sua non erubescit confiteri. Qui autem erubescit, non timet. Perfectus enim timor solvit omnem pudorem. Illi enim turpitudine confessionis aspicitur, ubi futuri iudicii poena non creditur. Numquid nescimus quia confessio peccatorum habet pudorem, & quia hoc ipsum erubescere poena est gravis? Sed ideo magis jubet Deus confiteri peccata nostra, ut verecundiam patiamur pro poena: nam & hoc ipsum pars est iudicii. Hæc Chryostomus. In quibus verbis hoc advertere oportet, quod dicit iussisse Deum ut confiteamur peccata nostra, ut vel sic verecundiam patiamur, tamquam poenam pro peccatis nostris susceptam. Quæ verba nullatenus ad confessionem quæ soli Deo fit, referri possunt. Plura certe de hac re adferre possem sanctorum doctorum testimonia, verum ne nimia prolixitate gravarem lectorem, omitto. Sed inter tam multa testimonia, vel unum esse debet (mea quidem sententia) efficacissimum, quod nulla humana auctoritate populis unquam potuisse adduci, ut occultissima secreta, quorum tacitam conscientiam horrebant, in alienas aures, tanto cum pudore, tanto cum periculo, sine ulla cunctatione effunderet. Nec simile est vero, fieri potuisse, ut tot presbyteri promissæ multitudinis confessiones audientes, secretum servarent, etiam hi, qui alias nihil continere possunt, nisi Deus ipse, qui sacramentum instituit, rem tam salubrem speciali gratia defunderet. Confessio peccatorum, quæ sacerdoti fit, est à Deo instituta: in qua omnia sunt peccata revelanda, quorum penitens recordatur: quibus revelatis in confessione, & data à sacerdote absolutione, penitenti Deus peccata dimittit, & gratiam infundit: quæ omnia diversis testimoniis probata jam sunt. Sed de institutione confessionis, quod illa sit à Deo, testatur Sixtus quartus Pontifex maximus, qui de hac re definit per hæc verba, quæ nunc subjiciuntur. Sixtus Episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Licet ea, quæ de nostro mandato erit fiant, plenam obtineant roboris firmitatem: tamen illis interdum nostri manumini robor adjectimus: ut eo firmitus illibata persistant, quo magis nostro fuerint præsidio communita. Dudam liquidem ad audientiam nostram deductæ, quod à modico tunc decurso tempore citra in Hispaniarum Regnis, & præsertim in Universitate studii Salamaticensis, fuerant, & adhuc erant nonnulli iniquitatis filii, qui quædam falsas, sanctæ catholicæ fidei con-

con-

contrarias, erroneas, scandalosas, & male sonantes propositiones, præsertim circa peccatorum confessionem, & Ecclesiastica sacramenta in studio hujusmodi, & in frequentissimo hominum coetu veras esse publice affirmare, & pertinacissime sustentare, ac defendere: aperitissimas sacre scripturæ auctoritates eorum erroribus repugnantes, earum rectum, clarum, & apertum sensum, falsis eorum interpretationibus impudenter violando refellere: hujusmodi quoque eorum falsa dogmata manifeste hæreticæ pravitate labem continentia in aliorum mentes inferere, & simplicium animas illaqueare: & ut illa in plurimum notitiam pervenirent, & in perpetuum de illis memoria haberetur, libros componere, & in publicum, ut illos legendi omnibus esset facultas tradere præsumpserant eatenus, & præfuebant: Nos tunc venerabili fratri nostro Alphonso, Archiepiscopo Toletano, per alias nostras litteras commisitimus, ut assumptis secum aliquibus in Theologia Magistris, & aliis viris literatis (vocatis his, qui propositiones ipsas veras esse affirmare nisi erant, & nitebantur in dies: & auditis quæ ipsi pro illarum veritate, & alii Christifideles ad dilucidandum earum falsitatem deducere vellent) an quæ in propositionibus hujusmodi continebantur, falsa, & fidei præfata contraria, erronea, & male sonantia existerent, auctoritate nostra declararet, & decideret: & declaratione hujusmodi facta, illos quos in præmissis culpabiles esse reperiret, si juxta sanctorum Patrum instituta, & canonicas sanctiones se emendare, & depositis de cordibus eorum totaliter erroribus prædictis, ad Ecclesiæ unitatem, hæreticæ labem hujusmodi abjurata, redire, & juxta declarationem suam, tales propositiones esse scandalosas, falsas, & hæreticas, ac male sonantes fateri, & desuper confectum librum hujusmodi retractare, & cum effectu resutare recusarent, & in illis, eorumque erroribus pertinaciter insistere vellent, hæreticos, ac censuris, & penis in tales à jure promulgatis irretitos esse decerneret: plena sibi desuper auctoritate concessa prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Postmodum vero sicut accepimus, præfatus Archiepiscopus ad executionem dictarum litterarum, earum forma servata rite procedens, dilectos filios Petrum de Proxamo, & Petrum de Ocanna, ac Petrum de Caloca, necnon Didacum de Betonno, Martinum quoque Alfonsum Delatorum, magistrum, & Petrum Didaci de Constana, ac Joannem de Quintanappalla, Licentiatos in Theologia: necnon Tellum Buendia Toletanum, & Vascom de Ribera, de Talavera: in eadem Ecclesia Archidiaconos, Thomam de Cuenca, & Joannem de Medina Decretorum Doctores: ac Gasparum Fernandis de Alcalá in eisdem Decretis Licentiatum, & alios quamplures Magistros in Theologia, ac Doctores, & Licentiatos in eisdem Decretis: alios quoque quamplurimos doctos, & literatos viros ex diversis Regnorum prædictorum locis: pariter & dilectum filium Petrum de Osma, propositionum prædictarum auctorem, e jusque sequaces, coram se ad suum Oppidum de Alcalá Toletanæ Diocesis evocari fecit: ac dicto Petro de Osma, & sequacibus minime comparentibus, debito tempore expectatis, matura super omnibus propositionibus prædictis deliberatione præhabita, de unanimitate Concilio, & assensu Magistrorum, & prædictorum Doctorem declaravit illas propositiones, per quas Petrus de Osma, & ejus sequaces prædicti pertinaciter affirmare non verebantur, confessionem peccatorum in specie, ex universalis Ecclesiæ statuto, non di-

vino jure compertam fore: & peccata mortalia, quoad culpam, & penam alterius sæculi, absque confessione, sola cordis contritione: pravas vero cogitationes sola displicentia deleri: & quod confessio secreta sit, necessario non exigi, & non peracta penitentia contentis absolvi non debere: & Romanum Pontificem Purgatorii poenam remittere, & super his quæ universalis Ecclesiæ statuit, dispensare non posse: sacramentum quoque penitentiae, quantum ad collationem gratiæ, nature, non autem institutionis novi, aut veteris testamenti existeret: & alias quas propter earum enormitatem, ut illi qui de eis notitiam habent, obliviscantur earum, & qui de eis notitiam non habent ex præsentibus, non instruantur in eis, silentio præmittendas ducimus, falsas, sanctæ fidei catholice contrarias, erroneas, & scandalosas, ac à fidei veritate alienas, & sanctorum Patrum decretis, & apostolicis constitutionibus contrarias fore, manifestam hæresim continere, dictarum litterarum, & per illas sibi concessæ facultatis vigore declaravit: & pro talibus haberi, & reputari debere decrevit: prout in quibusdam authenticis scripturis desuper confectis plenius continetur. Et demum, (præmissis sic ut præfertur gestis, & propositis in consistorio coram nobis nos dilectis filiis nostris, Stephano tituli Sanctæ Mariæ in Transyberim, & Joanni tituli Sanctæ Praxedis, Presbyteris, Cardinalibus, ut de præmissis gestis per ipsum Archiepiscopum diligenter se informarent: & quæ invenerint, nobis, & aliis fratribus nostris sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus referrent: qui tam zelo fidei, quam ut nostris parent mandatis, onus hujusmodi prompta voluntate suscipientes, cuncta diligenter rimarunt: & quæ invenerunt, nobis, & aliis fratribus nostris memoratis fideliter retulerunt: propositiones præfatas erroneas fore pluribus auctoritatibus, & rationibus, præter illas, quas in Archiepiscopi processibus invenerunt, etiam demonstrantes zelo fidei memoratas. Nos igitur, ad quem spectat erroris hujusmodi extirpare (habita eorumdem Sanctæ Mariæ in Transyberim, & Sanctæ Praxedis Cardinalium relatione prædicta) ipsius Archiepiscopi solertiam, & diligentiam in præmissis plurimum in domino commendantes, & certa nostra scientia Archiepiscopi declarationem, & decretum hujusmodi, & prout illa concernunt, omnia, & singula in scripturis prædictis Archiepiscopi super præmissis confectis contenta, auctoritate apostolica, tenore præsentium, de eorumdem referentium, & aliorum fratrum nostrorum, una cum Concilio, & assensu, laudamus, confirmamus, & approbamus, ac præsentis scripti patrocinio communimus, suppletentes omnes, & singulos defectus, si qui forsitan intervenerunt in eisdem. Et nihilominus pro prioris cautelæ suffragio omnes, & singulas propositiones prædictas, falsas, sanctæ catholice fidei contrarias, erroneas, & scandalosas, & ab evangelicæ veritate penitus alienas, sanctorum quoque Patrum decretis, & aliis apostolicis constitutionibus contrarias fore, ac manifestam hæresim continere, dicta auctoritate declaramus. Præfato quoque Archiepiscopo scientia, & auctoritate prædictis committimus, & mandamus, ut contra dicti Petri de Osma sequaces prædictos, si hujusmodi hæresim, in quam prolapsi sunt, abjurare, & eundem Petrum prout errantem secuti sunt, errores suos abjurantem, & se emendantem, sequi recuserint, aut malitiose distulerint, juxta prædictarum aliarum nostrarum litterarum continentiam, tamquam hæreticos procedere non omittat. Et ut gesta per eum probe, & laudabiliter

zelo fidei de mandato nostro, & per nos merito approbata, ad omnium incolarum illarum partium notitiam facilius perveniant: qua habita, possint seipso, ne in prædictos prolabantur errores, liberius custodire, præfentes nostras litteras cum processu per eum habito, ac dicti Petri abjurantem, singulis illarum partium Episcopis significare non omittat: qui post significationem eandem, clero, & populo suarum Civitatum, & Diocesium ea publicari procurent: & generaliter omnia faciat, quæ pro hujusmodi hæresis extirpatione necessaria fuerint, seu ei quomodolibet opportuna videbuntur, non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus apostolicis, ac omnibus illis, quæ in dictis litteris volumus non obstat, ceterique contrariis quibuscumque. Nulli ergo omnino hominum liceat, &c. Quod vero confessio sit necessaria, etiam si contritio adit, præter testimonia adducta testatur Concilium Constantiensis definitio. In quo Concilio, sessione octava, damnati sunt quadraginta quinque articuli Joannis Vviclephi: & inter ceteros is unus septimo loco assignatur, sub his verbis: Si homo debite fuerit contritus, omnis confessio exterior est sibi superflua, & inanis. Quæ sententia simul cum aliis ibidem condemnata est. Deinde, Concilium Florentinum sub Eugenio quarto celebratum in definitione fidei, quam dedit Armenis, de Sacramento Penitentiae differens, hæc ait: Quartum sacramentum est penitentia, cujus, quasi materia, sunt actus penitentis, qui in tres distinguuntur partes. Quarum prima est cordis contritio, ad quam pertinet, ut doleat de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero. Secunda est oris confessio, ad quam pertinet ut peccator omnia peccata, quorum memoriam habet, suo sacerdoti confiteatur integraliter. Hæc Concilium Florentinum. Ex quibus verbis, apertissime convincitur Lutherus negans omnia peccata esse necessario confitenda. Denique, Concilium Tridentinum sub Julio tertio celebratum multo apertius, & copiosius ea, quæ ad confessionem sacramentalem pertinent, definit. Nam sessione quarta, canone tertio, hæc ait: Si quis dixerit verba illa Domini Salvatoris: (Joann. 20.) *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt*, non esse intelligenda de potestate remittendi, & retinendi peccata in sacramento penitentiae, sicut Ecclesia Catholica ab initio semper intellexit: detorserit autem contra institutionem istius sacramenti ad auctoritatem prædicandi Evangelium, anathema sit. Et canone sexto iterum ait: Si quis negaverit confessionem sacramentalem, vel institutum, vel ad salutem necessariam esse jure divino, aut dixerit, modum secretae confitendi soli sacerdoti, quem Ecclesia Catholica, ab initio semper observavit, & observat alienum esse ab institutione, & mandato Christi, & inventum esse humanum, anathema sit. Et rursum canone septimo inquit: Si quis dixerit in sacramento penitentiae, ad remissionem peccatorum necessarium non esse jure divino confiteri omnia, & singula peccata mortalia, quorum memoria cum debita, & diligenti præmeditatione habeatur, etiam occulta, & quæ sunt contra duo ultima Decalogi præcepta, & circumstantias, quæ peccati speciem mutant: sed eam confessionem tantum esse utilem ad erudiendum, & consolandum penitentem, & olim observatam fuisse, tantum ad satisfactionem canonicam imponendam: aut dixerit eos, qui omnia peccata confiteri student, nihil relinquere velle divinæ misericordiae ignoscendum, aut demum non li-

tere confiteri peccata venialia, anathema sit. Hæc tunc Concilium Tridentinum. In quibus verbis omnes errores, quos supra enumeravimus, de confessione sacramentali, apertissime damnantur. De hac materia confessionis contra Lutherum scripsit Joannes Roffensis Episcopus in eo opere, quod contra Lutheri Captivitatem Babylonicam ædificavit. Scripsit etiam satis diffuse Jacobus Latomus in eo opere, quod pro assertionem determinationis facultatis Lovaniensis contra Lutherum composuit. Scripsit etiam frater Gaspar Sagerus, Ordinis Minorum. Alios autem, qui multi referuntur, non vidi. Alius est error ad hanc rem quodammodo spectans, qui dicit omnes homines cuicumque conditionis fuerint posse audire confessiones, & penitentes absolvere. Hic error est Martini Lutheri dicentis, omnes Christianos esse sacerdotes. Verum de hoc errore inferius disputabimus, in titulo de Sacerdotibus, ubi (Deo duce) probabimus, non omnes Christianos esse sacerdotes.

CONFIRMATIO.

Hæresis Græcorum est (ut ait Guido) confirmationem non esse sacramentum. Frater Bernardus de Lutemburgo in suo Cathalogo hæreticorum de Græcis loquens, dicit eos sacramentum confirmationis parvulis statim post baptismum conferre. & hoc per simplices sacerdotes. Itaque hi duo contraria videntur Græcis tribuere, & nescio utri eorum credam. Ut autem ingenue verum dicam, nulli istorum in hac re fido, quoniam neutrum video exacte rem investigasse, sicut ex aliis pluribus conjicere licet. Sive ergo hoc Græci teneant, sive illud, hoc certum est, Vvaldenses hunc errorem docuisse: quamvis Guido de eorum erroribus differens, numquam hoc illis tribuat. Tamen Æneas Sylvius, qui postea Summus Pontifex effectus, & Pius secundus dictus est, in libro de Origine Bohemorum, capite tricesimo quinto, errores Vvaldensium recensens, hunc inter alios illis impingit. Post istos Joannes Vviclephus Vvaldensium initiatorum sectam, dixit confirmationem posse à quolibet presbytero dari: non tamen (quod sciam) negavit confirmationis sacramentum, quoniam Thomas Vvaldensius, qui diligentissime huius erroris persecutor est, in suo primo tomo doctrinalis fidei, libro secundo, capite quinquagesimo septimo, solum hoc impingit Vviclepho, quod videlicet dixerit confirmationem confecti posse à quocumque sacerdote, & quod sola lucræ temporalis cupiditate est reservatum Episcopis. Martinus Lutherus dogmata sua à lacubus putridis, & infectis (ut solet) hauriens, Vvaldensibus confertit, dicens, confirmationem neque esse sacramentum, neque gratiam conferre, sed esse meram cæremoniã, & ritum quemdam. Ut autem hoc esse falsum convincamus, memores esse oportet illius, quod in principio hujus operis supra docuimus: multa videlicet esse fidei tenenda, etiam si per scripturas sacras expresse probari non possint. Deinde, ne in posterum de nomine solum coneridamus, hoc prius admonere oportet, ut quæ à recentioribus scriptoribus confirmatio vocatur, illa eadem sit, quæ ab antiquis, & vetustioribus vocatur signatio. Veteres siquidem ex ritu, & cæremonia, quæ in illius sacramenti collatione observatur, signationem appellaverunt, eo quod christumate, hoc est, oleo consecrato, Episcopus hoc sacramentum conferens, frontem pueri jam baptizati unxit, facto super frontem ex eodem christumate signo crucis, quo

tamquam validissimo, & impenetrabili scuto maniatu adversus dæmonis jacula. At recentiores ad effectum ipsius sacramenti aspicientes, confirmationem appellaverunt quoniam in hoc sacramento datur gratia per quam fortior quilibet, & firmior esse valeat ad pugnam cum dæmone sustinendam: & ideo merito confirmatio dicitur, quia per illam firmior efficitur. His ergo suppositis, facile probabimus confirmationem esse sacramentum conferens gratiam, quod à solis Episcopis ministrari potest. In Actis Apostolorum, cap. 8. legimus, quod cum Apostoli qui erant Hierosolymis, audissent quia Samaria recepit verbum Dei per prædicationem Philippi diaconi, miserunt ad eos Petrum, & Joannem. Qui cum venissent oraverunt pro ipsis ut acciperent Spiritum Sanctum: nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Jesu. Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum Sanctum. Ecce, hic videtur ad impositionem manuum Apostolicarum, Spiritum Sanctum super jam baptizatos descendisse. Unde convincitur, confirmationis sacramentum gratiam suscipientibus conferre, quoniam hoc modo per impositionem manuum orationi conjunctam Apostoli tunc conferebant confirmationem, sicut illum locum plures sacri doctores, & vetustissimi interpretantur: & Summi Pontifices sancti simul, & docti, & antiquitate reverendi, sic illum locum declarant: & Concilii generalis definitio de confirmatione locum illum esse intelligendum decernit. Quæ omnia mox subjiciemus. At (sicut in principio hujus operis docuimus) ille pro vero, & indubitato sacre scripturæ sensu recipiendus est, quem Ecclesia nobis pro vero sensu scripturæ dederit. Nam sicut ad eam spectat scripturas sacras à phanasi distinguere, ita ad eam spectat verum scripturæ sensum à falso separare. Cum ergo Ecclesia nos doceat illum scripturæ locum de confirmatione, aut frontis consignatione esse intelligendum, non est quod amplius de illo dubitemus. In illo autem loco aperitifime dicitur, per manuum impositionem Spiritum Sanctum conferri: ergo per confirmationem præstatur gratia noviter confirmato. Quod autem in illo loco Actorum Apostolicorum nulla sit mentio de unctione chrismatis, sed de sola manuum impositione, nihil movere debet: quoniam & si hoc ibi subiceatur, nihilominus tamen certum est Christum ita jusisse, ut confirmandus chrismate ungeretur, & Apostolos ita fecisse, ut Christus illis præceperat. Nam Fabianus Papa, & Martyr in epistola ad Orientales Episcopos, reprehendens eos Episcopos, qui non quolibet anno in feria quinta, quæ dicitur esse in Cena Domini, consiciebant chrisma, sed chrismate duorum, aut trium annorum sæpenumero utebantur, sic ait: Errant enim qui talia excogitant, & mente vesana potius quam recta sentiunt. In illa enim die Dominus Jesus postquam cenavit cum discipulis suis, & lavit eorum pedes, sicut à sanctis Apostolis prædecessores nostri acceperunt, nobisque reliquerunt, chrisma consicere docuit. Ipsa enim lavatio pedum nostrorum significat baptismum, quando sancti chrismatis unctione perficitur, atque confirmatur. Hæc Fabianus Papa. Quem Lutherus nec velut recentem, aut trecentenarium (ut solet) rejicere potest, quoniam ante mille & ferme trecentos annos sub Decio Imperatore martyrio coronatus est. Præterea in eodem libro Actorum Apostolicorum, cap. 19. reperimus iterum à beato Paulo simile quid fuisse factum. Hic enim cum discipulos quosdam solo Joannis baptismo baptizatos reperisset, illos vero baptismo in nomi-

ne Jesu baptizavit, quo facto imposuit illis manus, & venit Spiritus Sanctus super eos, & loquebantur linguis, & prophetabant. Ecce, iterum videtur gratiam per manuum impositionem dari. Quod si gratia infallibiliter ibidem confertur sub aliquo signo sensibili exterius apparente, nil obstat quin sacramentum dicatur. Sed hic unum adverte, quod nunquam illa manuum impositio facta est nisi per solos Apostolos, & nunquam reperitur ab aliis discipulis facta: unde & sacri, & vetusti doctores colligunt hoc sacramentum non posse ab aliis quam ab Episcopis conferri, quoniam Episcopi succedunt Apostolis, reliqui vero presbyteri representant discipulos, & illis succedunt. Hoc autem testimoniis sacrorum doctorum, & veterum comprobare oportet. Damasus Papa, in epistola de Episcopis sic ait: „Quod „autem solis Apostolis eorumque successoribus proprium „sit officii tradere Spiritum Sanctum, liber Actorum „Apostolorum docet, præsertim cum nullus ex septuaginta discipulis, quorum istis (de presbyteris loquitur) in Ecclesia speciem gerunt, legatur donum Sancti Spiritus per manus impositionem (ut prædictum est) tradidisse.“ Hæc Damasus Papa, doctus simul & sanctus, qui ante mille & plusquam centum annos obiit. Innocentius Papa, homo ejusdem farinae cum Damaso, quoniam sanctus, & doctus fuit, in epistola ad Decentium Egubinum Episcopum, cap. 3. sic ait: „De consignandis vero infantibus, manifestum est ab alio fieri „quam ab Episcopo, non licere. Nam presbyteri licet „sint sacerdotes, Pontificatus tamen apicem non habent. Hæc autem Pontificibus solis debent, ut vel „consignent, vel Spiritum Paraclætum tradant, non solum consuetudo Ecclesiastica demonstrat, verum illa „lectio Actorum Apostolorum, quæ asserit Petrum, & „Joannem esse directos, qui jam baptizatis tradere „Spiritum. Nam presbyteris, seu extra Episcopum, seu „præsentem Episcopo, cum baptizant, chrismate baptizatos ungeri licet, sed quod ab Episcopo fuerit consecratum: non tamen frontem ex eodem oleo signare, quod solis debetur Episcopis, cum tradant Spiritum Paraclætum.“ Hæc Innocentius. Ex istis verbis patet, confirmationem, sive consignationem conferri gratiam suscipienti: & talem confirmationem non posse ab alio, quam ab Episcopo conferri. Et dicit id esse non solum ex consuetudine Ecclesiastica, sed ex lege divinæ quæ in Actis Apostolorum fundatur. Idem sub eisdem ferme verbis, quibus Damasus, dicit Leo Papa, hujus nominis primus, in epistola ad universos Germaniæ, & Galliæ Episcopos, quæ est in ordine sexagesima sexta. Videat qui volet, quoniam in volumine Conciliorum generalium insertæ sunt hæc Leonis epistola. Melchisedes Papa, & Martyr in epistola quadam ad Hispaniæ Episcopos, expressius hujus sacramenti virtutem explicat, sic inquit: Spiritus Sanctus, qui super aquas baptismi salutariter descendit illapsus, in fonte plenitudinem tribuit ad innocentiam, in confirmatione augmentum præstatur ad gratiam. Et quia in hoc mundo tota ætas victuris, inter invisibiles hostes, & pericula gradiendum est, in baptismis regeneramur ad vitam, post baptismum confirmamur ad pugnam. In baptismis abluiamur, post baptismum regeneratorum in beneficia, victuris tamen necessaria sunt confirmationis auxilia. Regeneratio per se salvat mox in pace beati sæculi recipiendos: confirmatio autem armat, & instruit ad agones mundi hujus, & prælia servandos.

Qui

Qui autem post baptismum cum acquisita innocentia immaculatus pervenit ad mortem, confirmatur morte: quia non potest peccare post mortem. Hæc Melchisedes Papa. Deinde Eusebius Papa, qui hunc Melchisedem in Pontificatu præcessit, quique sub Diocletiano pro Christi nomine gloriosum sustinuit martyrium, in epistola tertia, quæ est ad Episcopos Tuscicæ, & Campaniæ, de hac re apertius reddit testimonium, sic inquit: Hæretico omnes quicumque Dei gratia convertuntur, & in Sanctæ Trinitatis nomine credentes baptizati sunt, Romanæ Ecclesiæ regulam tenentes, per manus impositionem reconciliari præcipimus. Manus impositionis sacramentum magna veneratione tenendum est, quod ab aliis perfici non potest, nisi à summis sacerdotibus. Nec tempore Apostolorum ab aliis, quam ab ipsis Apostolis, legitur, aut scitur peractum esse: neque ab aliis (sicut jam dictum est) quam ab illis, qui eorum locum tenent, unquam perfici potest, aut fieri debet. Nam si aliter præsumptum fuerit, irritum habeatur, & vacuum, nec inter Ecclesiastica unquam reputabitur sacramenta. Hæc Eusebius Papa, & Martyr. In quibus duo sunt annotanda, quæ nostro proposito deserviunt. Primum quidem ait, confirmationem esse sacramentum, quod Lutherani negant: Deinde dicit, illud non nisi ab Episcopis posse conferri, quod negavit Joannes Vicleph. Urbanus Papa, & Martyr Apostolorum temporibus vicinus, in epistola de communi vita, & oblatione fidelium, ad omnes Episcopos scripta, sic ait: Omnes fideles per manus impositionem Episcoporum, Spiritum Sanctum post baptismum accipere debent, ut plene Christiani inventiantur: quia quam Spiritus Sanctus infunditur, eorum fidele ad prudentiam, & constantiam dilatur. Hæc Urbanus Papa, & Martyr, qui aperte asserit per confirmationem, aut manus impositionem Spiritum Sanctum infundi. Clemens etiam Papa, & Martyr, qui quartus à beato Petro fuit, in quarta epistola sua hoc dicit idem circa finem epistolæ. Epistola autem istius habetur in illo volumine, in quo omnium Conciliorum decreta conservata sunt, in principio illius voluminis. Quod autem Hieronymus in libro adversus Luciferianos ait, esse magis propter honorem sacerdotii, quam ex legis necessitate decretum, ut solus Episcopus per impositionem manus Spiritum Sanctum conferat, hoc me non movet, nec quemquam movere debet: quoniam præstat credere magis Damaso, & Innocentio, & aliis sanctis perinde ac doctis, quos citavimus, quam soli Hieronymo, qui alias etiam opinatus est, inter presbyterum, & Episcopum nullum esse ex lege divinæ discrimen. Nec in hoc aliquid detrahimus Hieronymo (absit) nec propter hoc aliquid gloriæ illius deperit: quoniam ipsemet beatus Hieronymus catholice (ut decet) sentiens ad eundem Damasum Papam scribit, dicens se illam solam velle tenere fidem, quam illam Romanus Pontifex, & verus Petri successor docuerit. Nec etiam moveri debet factum beati Gregorii, qui scribens Jaguario Episcopo, permittit ut presbyteri sacramentum confirmationis baptizatis conferant: quoniam, ut ex illa eadem epistola patet, ipse prius hoc illis presbyteris ne id facerent prohibuerat: quia tamen inde scandalum nasci cognovit, permittit ut presbyteri illud conferant ad scandalum, & majus aliud malum evitandum. Sic enim ex eadem epistola patet esse permissionem, non concessionem. An autem male fecerit sic permittendo, vel non, ego non disputo: non ad me spectat, qui hunc de casibus partitus

laribus non ago. Si tamen cogor sententiam meam præferre, credo virum sanctum simul & doctum, neque errare voluisse, neque id quod faciebat, ignorasse. Sed jam opus est, ut de hoc Concilii definitionem audiamus. Concilium Hispalense secundum, cui interfuit beatus Isidorus, recensens ea, quæ presbyteris sunt interdicta, & solis Episcopis reservata, capite septimo suorum Decretorum inter alia etiam annumerat confirmationem, dicens: Siquidem nec benedicere eis Ecclesiam, vel altaria consecrare, neque per impositiones manuum fidelibus baptizandis, vel conversis ex hæresi spiritum tradere, nec chrisma consicere, nec chrismate baptizatorum frontem signare. Hæc Concilium Hispalense. Præterea inter quadraginta quinque articulos Joannis Vicleph in Concilio Constantiensi damnatos, is unus vigesimo octavo loco constituitur, sub his verbis: Confirmatio juvenum, & clericorum ordinatio, locorum consecratio, reservantur Papæ, & Episcopis propter cupiditatem lucri temporalis, & honoris. Qui articulus cum aliis ejusdem Joannis Vicleph ibidem una super omnes lata sententia damnatus est. Postremo hanc hæreticam assertionem damnat Concilium Tridentinum sub Paulo tercio celebratum, sessione septima, canone primo, de Confirmatione, sic inquit: Si quis dixerit confirmationem baptizatorum otiosam ceremoniam esse, & non potius verum, & proprium sacramentum, aut olim nihil aliud fuisse quam catecheseos quamdam qua adolescentiæ proximi, fidei suæ rationem coram Ecclesia exponerent, anathema sit. Et rursum canone secundo ait: Si quis dixerit injuriosum esse Spiritui Sancto eos, qui sacro confirmationis chrismate virtutem aliquam tribuunt, anathema sit. Et iterum canone tertio inquit: Si quis dixerit sanctæ confirmationis ordinariæ ministrum non esse solum Episcopum, sed quemvis simplicem sacerdotem, anathema sit. Hactenus Concilium Tridentinum. Sed quia in illius decretis nihil de effectu hujus baptismi dicitur, oportet addere Concilium Florentinum sub Eugenio quarto celebratum quod in definitione fidei data Armenis, de confirmationis sacramento dissentiens, hæc ait: Effectus hujus sacramenti est, quia in eo datur Spiritus Sanctus & robor, sicut datus est Apostolis in die Pentecostes. Ut videlicet Christianus audacter Christi confiteatur nomen. Adæque in fronte, ubi verecundie sedes est, confirmandus inungitur, ne Christi nomen confiteri erubescat, & præcipue crucem ejus, qui Judæis est scandalum. Gentibus autem stultitia, secundum Apostolum (1. Cor. 1.) propter quod signo crucis signatur. Hæc Concilium Florentinum. Extant & alia Concilia, quæ nostro proposito maxime favent, videlicet, Carthaginense tertium, & quartum, & Toletanum 1. cap. 20. & Braccarense primum, cap. 37. & hæc Concilia, quia provincialia sunt non fuit opus ea integre referre, postquam jam generalia Concilia protulimus. Unum solum referre volo dignum quidem annotatione, quod refert Eusebius Cesarientis, libro Ecclesiasticæ Historiæ, cap. 33. de Novato hæretico, dicens ea, quæ baptismum sublequi solent non fuisse in eo solemniter adimpleta, nec signoculo chrismatis illum fuisse confirmatum, & ob eam causam nunquam potuisse Spiritum Sanctum promereri.

CON.